

*pertinaciter tuentur. Soli Deo omnis honor & gloria, inquit Paulus. Cur pro Sanctorum cultu depugnant, quem à Spiritu Dei excludi fatentur? Porro hæreticam vocare sententiã quæ ex Lege & Evangelio transcripta est ad verbum, quam Deus scripsit suo digito, quam Christus ore suo protulit: plusquam diabolicæ audaciæ esse quis neget, nisi bis diabolus? Neque enim tam illis sum iniquus, vt putidum hoc commentum, quod nõnulli ex illis blaterãt, toti Collegio adscribam: Soli Deo, inquiunt, honor & gloria: quoniam solus est Deus. Seruies Deo soli: nempe qui solus est Deus. Audiuntur istæ næniæ & Parisiis & in alijs primarijs Gallia vrbibus pro suggestu. Malo tamen illis parcere, quàm vt quisquam me existimet transferre ad omnes, quod paucorum esse existimatur.*

*Iosue 23.a.1, & 2. Paralip. 20.c.12.*

*Psal. 44.a.4.*

*Artic. 58.*

*Annotatio, Iosue dehortatur populum à commistione Gentiũ, ne alii adhæreãt & fidãt quàm soli Deo. Iosaphat propriæ virtuti diffidēs, soli Deo fidit. In solo Deo sperandũ, qui solº saluat propter seipsum.*